

H. Pruss.

185

Hist. Prus. 217.

QVAE DAM
CIVITATIS
GEDANENSIS
J U R A

DEFENSA
INTERREGNO
MDCCLXIV.



GE D A N I.

TYPIS THOMAE JOANNIS SCHREIBERI, SENATVS ET
ACAD. GYMNASII TYPOGRAPHI.

* * *

*Ex Oratione And. Olszovii
Episcopi Culmensis & Procancellarii Regni
ad civitatis Gedanensis Ordines
die IX. Julii MDCLXX.
habita.*

Viget vigebitque in fama gentium, in æternitate tem-
porum constantiæ vestræ immortale exemplar, cum op-
presso undique Regno Poloniæ, omnia pro præmio &
præda hostes haberent, vos non dubitastis publico præ-
cipitio, animos, fortunas supponere, Principem &
reliquam Regni fortunam, in sinu urbis fovere, lasso &
fracto militi opera operamque commodare, postremo
vilius cuncta habere, quam fidelitatem non habere, nec
dum plane Arctoi Leonis occulti cuniculi aut apertæ ma-
chinæ subsederunt, quibus haec non civium curia, sed
fidelitatis petebatur, impetebatur frustra.

*Vos neque callidum
Perrupit aurum, nec dolosi
Fulmina, blanditiæque belli.*

* * *



CIVITATIS GEDANENSIS
PRÆCONSULES ET CONSULES
LECTURIS S.



ullo generali conventu habito, qvod casu
an consilio factum, in medio relinqui-
mus, contigit, ut sine Nuntiis ex Prussia,
comitia convocationis celebrarentur, illisque absenti-
bus, in universam Prussiam, in Nobilitatem, in civi-
tates,

A 2

tates, & sigillatim in Gedanum constituta, qvæ sine
Prussorum consensu constitui non debuissent, imo
juribus intercedentibus reclamantibusqve constitui ne-
queunt. Non quidem exemplis destituimur, imo sunt
bene multa, qvæ probant, Prussorum jura in comitiis
fuisse lacepsita, nullo tamen successu, Prussis suas im-
munitates constanter tuentibus & Serenissimis Regi-
bus subvenientibus clementissime. In præsens, dum
expeſtatur, qvid universi Prussiae Ordines, qvid civi-
tates cæteræ acturæ, ac Rex, interregno implorari ne-
qvit, nos qvæ Gedano vel cum tota provincia, vel cum
civitatibus reliqvis communia, vel ipsi ſoli propria ſunt
jura, ſine longiore mora defendere decrevimus, ne
ſilentio illa destituere aut eorum arbitrio permettere
velle videamur, qvi ſibi omnia in illa licere existimant.

Si ordinem conſtitutionum ſeqvimur, primo
loco occurrit (*) veſtigal generale, cum in terris
cæteris, tum in Prussia instituendum, etſi Prussi, hac
inter alias conditione, ne ullo tempore in ſua provin-
cia veſtigalia exigerentur, ſub ditionem Regis Polo-
niæ conſeſſerint, & Casimirus, qvi eos recepit, ac
priora a Crucigeris inducta veſtigalia in perpetuum
abro-

abrogavit, hanc immunitatem æternam fore promiserit. Qyando ergo Casimiri Successores, in Prussia vectigalia ordinarunt, Prussi de læso suo jure vehementer qvesti, neqve desierunt, donec vectigalia sublata essent. Interea dum Ordines inter se constituant, qvomodo generale illud vectigal a Prussia avertendum sit, nolumus reticere, Casimirum civitati Gedanensi, in ipsius privilegio præcipuo, qvod vocatur **Hauptprivilegium**, a. 1457 pollicitum, nullo unqyam tempore, vectigal, sive in Vistula, sive in terra impositum iri: & Stephanum in *tractatibus portorii* §. 13. „ne ulla „nova vectigalia, vel exactiones, per Se vel Successores Suos, sive terra sive aqua, in flumine Vistulæ, „civitatis civibus imponerentur, qvibuslibet futuris „temporibus ordinasse & cavisse,. Hæc Casimiri & Stephani erga civitatem Gedanensem obligatio, ad omnes Serenissimos Successores transiit, qvam Serenissima Respublica instauravit, cum a nuper defuncto Serenissimo Rege Augusto III. per pacta conventa promitti curaret: „commercia incolarum Prussiæ, simul „urbium & oppidorum hujus provinciæ, juxta men- „tem privilegii incorporationis a. 1454. ab omni vecti- „gali, tam terrestri qvam fluviali immunia fore,. Mi-

nime potest Serenissima Respublica Ipsa Secum discors esse, ut cum proximo interregno crediderit, commercia incolarum Prussiae, simul urbium & oppidorum, per privilegium incorporationis, vectigalibus omnibus libera esse, praesenti iisdem incolis vectigal generale imponere velit. Nos certe omni ope annitemur, ut cives nostri, & tota provincia immunitate sua fruantur, eamque per praesentis interregni legem, in quam neqve consensimus, neqve consentire potuimus, eripi haud patiemnr.

(*) Konfederacya generalna. p. 35. tit. Cto generalne.

Vectigali generali, jungunt convocationis comitia (*) injurias, qvæ venditoribus fieri dicuntur, in mensura frumenti per certum numerum modiorum, vulgo *Korczyki*, in supplementum singularum sexagenarum, in moneta & nummis aureis, in ponderibus, & per alias Gedani & in cæteris civitatibus vigentes iniquas exactiones, qvæ omnes tolluntur & in refractarios mulcta duorum marcarum millium sancitur, a judicio assessoriali irroganda, & ex bonis civitatis Gedanensis & aliarum civitatum, per officium castrense, adhibito etiam militari auxilio, vindicanda.

(*) Konfeder. gener. p. 36.

Nu-

Numerus modiorum, qvi in supplementum,
singulis sexagenis, seu lastis addi dicitur, nulla lege
inductus est, ut ejus ratio a civitate exigi queat. Si de
illo inter venditores & emtores convenit, nihil hoc
ad nos. Forsan justa causa subest, cur emtores postu-
lent & venditores largiantur. Cæteras injurias & ex-
actiones iniquas ignoramus. Si tamen credunt vendi-
tores, injurias sibi fieri, &, qvod fas non est, invitis
extorqveri, deferant suas querelas ad Magistratus.
Sunt enim, & in reliquis civitatibus Prussiæ, & Gedani,
Magistratus, qvi attendunt, ne vendoribus mensura,
ponderibus, moneta, injuria fiat, & si facta, severe
animadvertiscantur. De iis autem in comitiis cognoscere,
aut aliquid statuere, civitatum legibus repugnat, ubi
jam tempore Crucigerorum, id a Magistratibus cuiusvis
civitatis fiebat, qvod jus sub Serenissimorum Regum
imperio mansit integrum. Iidem Magistratus simul
multas irrogant & exigunt: ut neque *assessoriali* neque
castrensi judicio opus sit. Jure ergo hoc nostro utemur
pariter in posterum, minime laturi, ut propter vendi-
torum de mensura, ponderibus & moneta querelas,
cives & incolæ nostri ad judicia *assessorialia* evocentur,
ut in eos ibidem multa decernatur, quam *castrense*
judi-

judicium, cui nulla in nos jurisdiction, ex bonis civitatis, etiam adhibita militari manu, exigat. Si vero, qvod non speramus, id fieret, vis nobis inferretur, esset que hostilis irruptio, adversus qvam ad Regiam Majestatem, leges, & id qvod legibus licet, erit perfugium.

Maximi momenti est, qvod de mutando, per pacta conventa futuri Regis, judicio *Assessoriali*, incliti Regni Ordines promulgarunt: „ne scilicet a decretis hujus judicii appellare liceret; ut decreta fermentur ex sententiarum pluralitate; ut praeter officiales cancellariæ, certus Regni Senatorum & ex Nobilitate numerus assideret; ut Dominis Cancellariis per graviora negotia præsidere impeditis, primus ex Dominis Senatoribus *Assessoribus*, Regis nomine præsideret; ut Assessores viginti quatuor ex Senatorio & Eqvestri Ordine, primum in comitiis coronationis, postea in singulis comitis ordinariis, suffragiorum pluralitate eligerentur,,.

Konfed. gener. tit. Zlecenie Deputat. p. 77. 78. 79.

Si ex solis civitatibus Regni ad judicium *Assessoriale* appellaretur, nihil nostra interesset, quocunq; modo

modo judicium illud ordinandum esset; sed cum simul ex civitatibus Prussiæ, & inter has, Gedano provocatōnes fiant, futuram mutationem silentio probare neqvimus. Sub Crucigeris, omnes causæ intra provinciam judicabantur, nulla extra eam appellatione. Jure hoc integro, sub Casimiri Ejusqve Successorum imperium Prussi concederunt, Casimiro etiam hoc jus, cum usu juris Culmensis, confirmante. Sigismundus I. a. 1509. *Ambrosium Pamponscium*, Siradiensem Palatinum & Capitaneum Mariæburgensem, supremum in Prussia judicem constituit, ad qvem a judiciis inferioribus appellaretur, qvod Ordinibus ideo dispicebat, qvia erat res nova & consuetudini adversa, unius viri non indigenæ, legumqve Prussicarum ignari, decretis parere, intercepto ad Regem & Prussiæ Consiliarios perfugio, & jura non indigenas omnibus dignitatibus arcebant, tantum abest, ut illis supremum juris dicendi potestatem permitterent. Solebat autem Rex qvando in Prussia præsens erat, si imploraretur, lites coram dirimere, cum absens, interdum causa non appellationis modo, sed per libellum supplicem Ipsi exponi, ut sententiam suam rescriberet. Ad Consiliarios vero appellabatur. Hinc cum non deessent qui Gedanenses

B

ad

ad Regem in Polonia citarent, Rex a. 1511 declarabat: nolle se extra Prussiam Gedanensium causas judicare, neque illos esse obstrictos, juridice respondere. Sequenti anno, *Joannes Flaxbinder*, alias ab *Hoven* aut *a Curiis*, eo tempore Notarius Regius, in hæreditatis causa, cuius ipse patronus erat, a Senatus Gedanensis sententia, extra ordinem, ordinaria ipsi appellatione negata, ad Regem provocavit, in quo haud bonum patriæ suæ civem, Gedani enim natus fuerat, egit. Hæc appellatio ad aulam, qvæ omnium prima, movit tum Gedanenses, tum reliquos Prussiæ Consiliarios, ut missis legatis Regem orarent, ne appellationes in Poloniā admitteret, sed ut sibi liceret, antiquo suo jure etiam in posterum frui. Rex nihil in præsens mutandum ratus, rem ad proximum suum in Prussiam adventum distulit, omnes interea causas, si per appellationem ad suum judicium deferrentur, ad judices ordinarios remissurus integras. Regem a. 1521 Thoruni præsentem, Prussiæ Consiliarii orabant iterum, ne extra suam provinciam, appellationes admitterentur, proponebantqve judicium supremum, qvovis anno semel Mariæburgi habendum, a quo non provocaretur. Sed Rege in appellatione persistente, & Prussis cedentibus,

ad

ad judicia Regia in causis civilibus appellari cœpit (*): de qvo lex in constitutionibus terrarum Prusiaæ scripta est.

(*) Schützii hist. Pruss. f. 429. p. 1. f. 430. p. 2. f. 443. p. 1. f. 444. p. 1. f. 479. p. 1.

Ex hoc tempore, Reges causas, in qvibus ad se appellatum, Dominis Cancellariis committebant, ut judicarent ipsi, non ut plurimorum Assessorum sententiam seqverentur, alias non Cancellariorum, sed Assessorum fuissent decreta, ut in posterum futura, qvando plurimorum Assessorum sententia valebit. Hoc modo judicium Assessoriale, qvod adhuc fuit Regium aulicum, evadet Polonum, ex judicibus Polonis compositum, & revera novum aliquod civitatum tribunal, qvas tamen Rex Stephanus, Polono tribunali instituto, exemit, ac suo judicio, qvod per solos Cancellarios exercebat, servavit, ut hoc modo solus jus diceret, nec quisquam aliis. Jam Rex nobis judices non dabit, ut in Dominis Cancellariis dedit, ex qvo tempore ad Regem extra provinciam appellavimus, sed Regni Ordines dabunt, lectis qvovis biennio in comitiis ordinariis, ex Senatu & Nobilitate Assessoribus, ut hoc modo

modo supremus Judex Rex esse desinat. Potuit etiam Rex de juribus nostris edoceri, ne contra ea a Dominis Cancellariis decerneretur, secus excusabamus, qvod ejusmodi decretis obtemperatum non fuisset, quibus obtemperare leges non permisissent. Judicio autem Assessoriali novo modo ordinato, frustra jura nostra Regi commendabimus, nulla Ipsi in judices auctoritate. Denique licuit a judicio Assessoriali ad judicium relationum appellare, veteri hoc jure a Joanne III. a. 1696. singulari diplomate confirmato, qvod tamen fieri nova constitutio vetat. Qvare cum Rex pro Supremo Judge non habendus, & causas cum privatorum tum civitatis publicas, judicio Polono, qvod vere extraneum, permittere, per jura nostra & jurisjurandi religionem fas non est, redeundum erit ad antiquum morem, qvo appellationes ad aulam ignorabantur. Qvod vero ad causas, in qvibus jam appellatum, qvæque decretum expectant & annos aliquot expectarunt, eas revocabimus, decreta, qvæ a novo judicio, suo tempore ferentur, pro iis habituri, qvæ non a suo legitimo judge lata sunt.

Se-

Seqvitur constitutio (*) in solam civitatem Gedanensem scripta, qvæ de injuriis civium & Magistratum in Nobiles queritur: qvod cives, Nobiles ad Magistratus citent, Magistratus judicent, & decreta sua exsequuntur, allegato in exemplum Magnifico & Generoso Domino Francisco Wilczewski. Adduntur: qvod milites in bona *terrestria* mittantur; Nobilitati tributa imponantur; alia iniqva patrentur, & pecuniæ extorquentur; qvod neqve constitutiones, neqve decreta, neqve commissiones pro *statu* Eqvestri obseruentur. Ut ergo ejusmodi injuriæ inhibeantur & puniantur, Dominis Deputatis ad pacta conventa injungitur, Regem per pacta illa obligare, ut statim post coronationem, *Commissarios*, qui in expositas injurias inquirant, ad civitatem mittat, qui simul exhiberi sibi a civitate jura jubeant, ut ipsi inspiciant, an in iis inventiatur ejusmodi potestas, quam contra Nobiles, nec non in cudenda moneta, eaqve modo augenda, modo minuenda, ac in aliis qvæ extra legum orbitam, civitas sibi arroget. Ut præter alias injurias, etiam in eas qvæ memorato Domino Wilczewski ac Magnifico & Generoso Domino Thomæ Czapski factæ, inquirant, iisque auditis, injurias judicent, certam ordinatio-

B 3

nem

nem in perpetuum faciant, & ad Serenissimum
qvo confirmetur mittant.

(*) Konf. gener. p. 85. tit. Miasto Gdansk.

Vetus Nobilium est postulatio, ut commorantes
in civitate, a Magistratus jurisdictione immunes sint,
sive in delicto deprehendantur, sive ex contractu recen-
ti conveniantur, pactis publicis, constitutionibus ter-
rarum Prussiæ & usu perpetuo, contradictibus. Per
pacem enim inter Regem Poloniæ & Magistrum Or-
dinis Teutonici in Prussia, a. 1436, delinqvens in loco
delicti deprehensus, puniri & contrahens, cujuscunque
status & conditionis fuerit, in loco recentis contractus
conveniri potest. Idem repetit pax perpetua, inter
Regem Poloniæ Casimirum III. & Ludovicum ab Er-
lichshausen, Ordinis Teutonici Magistrum, a. 1466. Ad
qvam pacem provocantes Terrarum Prussiæ constitu-
tiones, de delinquentे & contrahente non aliud san-
ciunt. Utriusque pacis tabulas & constitutiones
Prussiæ, usus seqvitur: qvem Stephanus in *Tractatibus*
portorii §. 12. ita probavit, ut pro Se & Serenissimis
Suis Successoribus promiserit, neminem jurisdictioni
civitatis, qvi scilicet per leges ei subiectus sit, exem-
tum

tum iri. Non ergo cives nostri Nobilibus injuriam faciunt, qvando eos ob contractum æs alienum, qvod dissolvere rogati recusant, tandem ad Magistratum citant, & Magistratus, qvando eos judicat, decretumqve suum exseqvitur, munere, qvod Regis nomine gerit, dignum se præstat. Et qvo jure se nobiles hac jurisdictione civitatis eximere volunt, qvos Serenissimi Reges eximere noluerunt? Ipsi Nobiles suæ conditionis parum memores videntur, qvando debita solvere abnuunt, etiam pro pecunia, post minas, vim intentantes, ut ne armis qvidem abstineant. In horum numero est Magnificus & Generosus Dominus Wilczewski, adversus qvem civitatis causam, in peculiari scripto, typis nuper edito, egimus.

Qvando arguimur, mitti a nobis in bona terrestria milites, tempus, qvando, & bona, in qvæ missi, nominari debuissent. Ad ejusmodi enim vagam incusationem nihil certi responderi potest, nisi hoc, nulli Nobili in suis bonis a nostris militibus vim illatam unquam, neminemqve turbatum fuisse, cum satis felices nos credamus, si nostris bonis tranqville fruimur, & nostris contenti, aliena minime appetimus.

Ne-

Neqve tributa Nobilitati unquam irrogavimus, nisi tributa appellanda, onera ad qvæ Nobiles indigenæ, ex domibus qvas emerunt, per constitutiones Terrarum Prussiarum obligantur, qvæ volunt, ut ipsi ratione civilium bonorum, omnia civitatis onera ferant, ad qvæ etiam se Nobiles, qvando domos emunt, litteris suis *reversalibus* obstringunt. Qvæ autem illæ iniqvates sint, qvæ Nobilitati fiant, qvæ illæ pecuniæ qvas extorqueamus, cum non nominentur, ignoramus, demonstrabimusque innocentiam, qvamprimum nobis de iis constiterit.

Qvales vero illæ constitutiones pro Nobilitate, qvas negligere incusamur? Si sunt constitutiones Regni, de iis idem, qvod Prussi omnes, sentimus, nos iis non obligari, cum sint leges vere extraneæ. Prussi autem, & hæc civitas, habent suas leges, qvibus reguntur & secundum qvas agunt, ut alienis non indigeant. Habet tamen Prussia suas constitutiones, qvarum sumus observantissimi, & qvæ præcipiunt, Nobiles in civitatibus commorantes, si ex recenti contractu in jus vocati, Magistratum judicium recusare non debere, ut paullo ante dictum. Utinam Magnifici & Generosi Domini

Wil-

Wilczewski & Czapski, qvi Prussiæ sunt indigenæ, patriæ suæ legibus paruissent, non haberent, cur civitatem, Prussiæ leges exercentem, suis querelis exagitant & in summam invidiam adducerent.

Decreta, qvorum contemtus pariter nobis objicitur, sine dubio non erunt Regia, qvæ sola reveremur; alia omnia, nihil in nos statuere possunt, & quando aliquid statuunt, perinde habemus, acsi nihil statutum esset. In horum classem decreta tribunalitia referimus, qvoniam tribunalis Poloni, nullo tempore, in nos, civitatesqve Prussiæ omnes, fuit jurisdictione: qvod nuper singulari scripto typis vulgato demonstravimus. Temere egit Magnificus & Generosus Dominus Wilczewski, qvi Regis Cubicularius & militiæ Tribunus, seu Colonellus, despecta Regis in nos potestate, ad Regni tribunal suam contra nos causam detulit, ut eo facilius non auditi, & qvi in alieno foro audi non poteramus, damnaremur, qvo tamen Regium in nos jus violavit, qvod ipsi, ut omnibus, sanctum esse debuisse. Contra recte, & ex reverentia, qva Regiam auctoritatem religiose prosequimur, egimus,

C

qvod

qvod decreto, a judice non legitimo in nos lato, in
Regis injuriam haud obtemperavimus.

Per *commissiones*, qvæ cum constitutionibus &
decretis adversus nos citantur, una tantum potest in-
telligi, commissio *Karrkoviana*, apud nos satis nota,
qyam Divus Stephanus, in portorii *Tractatibus* §. 16.
obliterari plane voluit, „ne qvid in posterum de ea
„qvæstionis vel controversiæ relinqueretur, sed ut ci-
„vitas in jure & statu suo, quo antea fuisset, deinceps
„etiam permaneret, nec vel istarum actionum & con-
„stitutionum commissorialium prætextu, qvicqvam de
„statu civitatis immutaretur: & proinde pro Se ac
„Successoribus, civitatem suam Gedanensem & omnes
„ejus Ordines ac cives, realiter & effectualiter ab ista
„tota Commissione & omnibus ejus attinentiis ac gra-
„vaminibus, clementissime relevavit & liberavit, con-
„stituens ac decernens, autoritate Sua Regia, ne qvid
„illorum, qvæ in civitatis præjudicium, contumeliam
„ac damnum acta, gesta, constituta sint, ullo unqvam
„tempore, nec Magistratus, nec civium honori, exi-
„stimationi & fidei, civitatis item juribus, privilegiis,
„libertatibus & probatis consuetudinibus, quoqvo
modo

, modo obesse , nocere , derogare vel præjudicare
 „possent vel deberent .” Videant igitur , qvam parum
 reverenter Divi Stephani memoriam coluerint , qvi
Commissionis , qvam Ille cum omnibus suis *attinentiis*
 æternæ oblivioni mandavit , scita , inter Regni con-
 stitutiones retulerunt , & illorum temporum ignaros
 in errorem induxerunt , qvasi ad ea , tanq; ad
 leges , adversus civitatem provocare possent.

Futurus Rex , Qvem nobis Divina destinavit
 providentia , Quemque læti prævidemus , per pacta
 conventa , ad nihil , qvod nobis adversum , obligari
 poterit , qvia a Serenissimis suis Decessoribus , jam ante
 pacta obstrictus est , jura , privilegia , & immunitates
 nostras intactas servare , cum Serenissimi Decessores , in
 iurium confirmationibus sancte promiserint , fore illa
 omnia perpetua. Neq; civitas hæc , in Serenissimæ
 Reipublicæ est ditione , ut de nobis , sine nobis , per
 pacta conventa , cum novo Principe transfigere queat.
 Soli Regi , ut in totam Prussiam , ita in nos est impe-
 rium , cuius rei Magnum habemus testem , Divum Ste-
 phanum , in portorii *Traetatibus* in fine §. 16. confir-
 mantem : „Gedanenses post DEum immortalem , uni-

C 2

„cum

„cum in terris Dominum, Regem, agnoscere,. Qvod non tantum de Se, verum de omnibus suis Successoribus intelligi voluit.

At obligandus futurus Rex, per pacta conventa, ad mittendos Gedanum *Commissarios*, quam potestatem, sine pactis conventis habebit, quam Divus Stephanus, per portorii *Tractatus* §. 16. Sibi & Serenissimis Suis Successoribus servavit, quoties scilicet publica utilitas, aut ipsius civitatis ratio postulaverit. Jam vero mitti debent *Commissarii*, non ob publica & civitatis commoda, sed propter privatas injurias, quae nobilibus dicuntur illatae, ad inquirendum an civitas jura habeat, per quae ipsi potestatem sibi in Nobiles vindicare liceat. Illae autem injuriæ, prius coram futura Regia Majestate, sunt demonstrandæ, & si factas esse, tum demonstratum fuerit, nobisque auditis, ex praescripto legum, non per *Commissarios*, sed a Rege animadvertendæ erunt. Jurisdictionem, quam civitatis Magistratus in Nobiles exercent, pacta vetera, constitutiones Prussiæ, portorii *Tractatus* probant, quae typis expressa, a quovis legi possunt, & ideo jura civitatis a *Commissariis* lustranda

non

non sunt. Monetam cudere, per privilegium Casimiri
a. 1457 obtentum, nobis, ut civitatibus reliquis ma-
joribus, licet, quo sub Serenissimis Casimiri Successori-
bus usi perpetuo, idque nummi qui asservantur, quam-
vis rarissime appareant, & in usu non sint, satis pro-
bant, si non alia documenta superessent. Nostro pari-
ter consensu, monetales officinæ a. 1685. in Regno &
provinciis, ad proxima comitia clausæ sunt, ut inter-
ea, adhibitis civitatibus Prussiæ majoribus, res mo-
netalis melius ordinaretur. Sed officinis, ne post sep-
tuaginta quidem annos apertis, & meliore ordinatione
tanto spatio neglecta, ac pecunia externa, quæ in dies
deterior, civitatem hanc totamque Prussiam instar
diluvii inundante, ipsa necessitas nos adegit, ad usum
juris nostri, quo olim ad proxima comitia, seu per
biennium, abstinere voluimus, post tantum temporis
intervallum, redire, & magnis eam in rem factis sumti-
bus, pecuniam cudere, quo effectum, ut vilior exterio-
rum moneta, apud nos jam plane exulet. Peregrino-
rum vero nummorum valorem non auximus, ut male
incusamur, & dum Ducatorum & Thalerorum pretium
sensim crevit, non nostra opera aut consilio crevit;
utrumque enim nummorum genus, est peregrinum

C 3

&

& aliunde ad nos allatum, cuius pretium per cambium, minoribus nummis, qui sunt in quotidiano usu, priorem internam bonitatem, ob lucri apud exteroros aviditatem, non habentibus, crevit, neque apud nos tantum, sed simul apud exteroros vicinos, ubi nulla nobis est auctoritas, ut pro nostro arbitrio Dicatorum & Thalerorum valorem intendere possimus, qui minuetur, ubi minor pecunia ad priorem bonitatem redierit: quod quomodo efficiendum, re bene expensa, in comitiis constituendum est. Deteriorem vero monetam, ex collatione cum nostra, quae melior, ad justum pretium redigere, ratio commercii & rei familiaris cura exigunt, ne vilior moneta, si par ipsi cum meliore pretium, sensim sola in usu maneat, & nostra melior, per illorum, qui inde lucrum captant, ingenium & industriam, se subducat, ac rerum pretia per viliorem augeantur & commercia turbentur. Habent alias hanc potestatem illi, quibus suam cudere monetam licet, ne domestica paullatim amota, sola externa obtineat, sumtibus in domesticam frustra, nec sine damno factis. Quo jure usi sunt Majores nostri, cum a. 1566 & 1634 exteris thaleris; a. 1664 & 1665 Polonis sexgrossalibus & florenis, justius pretium statu-

statuerunt , illo inferius , qvod ipsis fuerat impositum . Gedanensium potissimum consilio , Prussiae Ordines a . 1660 Polonos Orthones ad sedecim , & sexgrossales ad quinqve grossos ; & a . 1669 Boratinos Orthones & Tymphianos Florenos , ad quindecim grossos redegerunt . Sic per justius pretium ad internum Florenorum Tymphianorum valorem , duplex florenus , Prussicus & Polonus , ortus est , ut jam Polonus dimidium Prussicum efficiat , ac alia sit bona moneta , ad quam Prussi , vulgaris alia , ad quam Poloni summas computant . Possent addi plura exempla externae pecuniae , cui , postquam ad eam quæ in usu erat explorata , minus pretium constitutum est .

Quæ illæ *exorbitantiæ* sint , quæ nobis objiciuntur , nec nominantur , nescimus , forsan & illi nesciunt , qui hanc in nos constitutionem formarunt , nisi velint *exorbitantias* appellare , quando intra limites legum coercentur , qui nullos sibi statui volunt . Num vero extra legum orbitam vagati simus , Rex suo tempore cognoscat Ipse , sine alienis actionum nostrarum interpretibus , qui & fallere & falli possunt . Quid autem de *Commissariis* Divus Stephanus statuerit , qvod non nisi

nisi propter publicam aut civitatis utilitatem, mittendi
sint, antea memoravimus.

Magnificorum & Generosorum Dominorum
Wilczewski & Czapski causæ, privatæ sunt, qvales
Commissariorum inquisitionem non admittunt. Ambo
propter debita in jus vocati, ambo judicati, latoqve in
eos decreto ad exsecutionem deducto, utriusqve nego-
tium confectum est: nisi qvod Dominus Czapski, qvi
unum ex creditoribus verberibus affecit, citatus, judi-
cium Burggrabiale, qvod Regium est, despexerit, mul-
tam post causæ cognitionem luiturus, qvando se sistet.
Si alii Nobiles putant, sibi a Magistratibus nostris ali-
qvam factam injuriam, qverelas suas ad nos deferant,
ut de iis judicemus. Ut vero *Commissarii* in futurum
novas ordinationes aut leges scribant, id illis permitti
nequit, & cum *Karkoviani Commissarii* hanc potesta-
tem sibi arrogassent, contradixit civitas, neqve iis pa-
ruit, ac Rex Stephanus per portorii *Tractatus* sustulit;
ut dictum antea. Fundata est legibus civitas, qvibus
pro tempore auctis, sub Serenissimis Poloniæ Regibus
supra tria saecula floruit, qvibusqve per divinam gra-
tiam, florebit in posterum. Si vero novis legibus
indi-

indigeremus, civitatis Ordines, qvi publica commoda, melius, qvam aliusqvisqvam, intelligunt, providerent, qvibus leges ferendi potestas concessa est, & qva in hunc diem usi sunt.

Hæc, qvam modo expendimus, in nos scripta constitutio, cum primum coram inclytis Regni Ordinibus lecta esset, Illustrissimus & Excellentissimus Dominus Pomeraniæ Palatinus, gravi eam sermone, qvem habemus in manibus, improbavit, ac commendatam Commissionem rejicit, tantumqve valuit ejus auctoritas, ut sententiis non rogatis dictisqve, nihil decerneretur. Sed hoc nostro Patrono & Defensore per valetudinem absente, repetita, probata, & inter cæteras constitutiones relata est, Qvi nihilominus finitis comitis, nobis & toti Prussiæ subvenit, *salvis juribus Terrarum Prussicæ & immunitate civitatum majorum, constitutionibus subscribendo.*

Unum restat, de portorii nostri Regia parte, Illustriss. & Excellentiss. Domino supremo Regni Thesaurario tradenda, ut eam futuro Regi servet (*). Est Regionum ex Gedanensi portorio redditum alia, qvam

D

œco-

ceconomiarum natura; in qvorum cum civitate communionem, Rex Stephanus, per portorii *Tractatus* a. 1584 compositos, venit. In his sancitum, ut tres civitatis Consules & duo scribæ, a civitatis hujus Senatu electi & constituti, totum portorium reciperent, partem Regis servarent, ac illi traderent, cui ut reciperet, a Rege jam coronato, mandatum fuerit. *Nam* Stephanus in illorum *Tractatum* præfatione testatur, civitatis Gedanensis Ordines, portorii sui binummalem auctionem, qvæ Regia portio est, Sibi & Successoribus suis, Regibus Poloniæ *coronatis* consensisse. Ex hoc tempore, non nisi coronatus Rex, portorii partem recepit; ut si electus sed non coronatus, expectandum Ipsius fuerit, donec Regni insignibus solenni ritu condecoratus esset. Frustra a. 1587, pro Sigismundo III electo & nondum coronato, cum præsens Gedani esset, portorium postulabatur, qvodqve Regi Michaeli, ante coronationem, pariter negatum est. Toto interregno, partem Regiam, Praefecti portorii, qui tres sunt Consules, custodiunt, ut reddant, cui Rex, post suam coronationem recipi, mandaturus. Eqvidem interregnis post Vladislauum IV. Joannem Casimirum, Michaelem, Joannem III. & Augustum II. Domini Supremi Regni The-

sau-

saurarii, Serenissima Republica patrocinante, sibi portorium numerari voluerunt, secutusque Decessorum suorum exemplum hodiernus Excellentissimus Dominus Supremus Regni Thesaurarius, superiore anno, statim post præsentis interregni initium, nos compellavit, cuius tamen postulatio, ut priorum Dominorum Thesaurariorum, frustra fuit. Non ergo exiget a nobis Serenissima Respublica, ut contra publicos portorii *Tractatus*, contra usum perpetuum, novissimæ constitutioni pareamus, cum merito futuræ Regiæ Majestatis indignationem incurreremus, si *Tractatibus* illis a nobis violatis, redditus qvi Ipsi Soli, post coronationem debentur, alias a nobis ante electionem receperisset.

(*) Konf. gen. p. 100. tit. Warunek.

Tantum ex mente & consensu omnium civitatis Ordinum, typis publicandum esse duximus, non ut offenderemus qvemq; a qvo qvam longissime absimus, sed ut jura nostra, qvæ nobis omnibusq; Ordinibus, ipsa vita cariora sunt, tueremur, in qvo Majorum nostrorum exempla secuti, qvi qvando Regni Constitutionibus insertum, qvod suis juribus repugnat, *manifestationibus* solenibusq; contradictioni-

D 3

bus



bus usi sunt, Rege & Republica illorum vigilantiam
non improbantibus. Veneramur *Serenissimam Rem-*
publicam, colimus, ut fas est, *inclytos Regni Ordines*,
salvo qvod patriæ debemus officio, salva juris-
jurandi in jura religione, salva qva futuro Regi obstricti
sumus fide, per qvam, qvæ a Serenissimis Ejus Decesso-
ribus nobis mandata jura, ad Ipsum transmittenda sunt
intacta & illibata, Cujusqve auctoritatem simul defen-
dimus, dum nostram causam tuemur. Accedit, qvod
cum Diva *Anna*, totius Russiæ Imperatrix, pro Se &
Augustissimis Suis Successoribus, jura & privilegia
omnia, sacra & civilia, servanda esse integra, pro sum-
ma Sua in hanc civitatem indulgentia, singulari diplo-
mate, anno 1736 tanquam Sponsor caverit, nobis etiam
atqve etiam excubandum laborandumqve sit, ne sub
oculis Serenissimæ *Catharinæ Secundæ*, qvæ glorio-
sissime imperat, nostro torpore & socordia imminuan-
tur subvertanturqve.



